



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Francisci Bonaldi Societatis Iesv Theologi, Divina
Ecclesiae Oeconomia**

Bonald, François

Coloniae, 1611

XVII. De virtute Spei ac maximo solatia quod nobis vitæ huius tempore
præstat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48916)

tur summopere nos hoc lumine spo-
Iudic. 16. liare, & spiritualiter, sicuti Philis-
 thijm Sampsonem corporaliter, ex-
 cæcare; adeoque Diaboli, ut sese mo-
Psal. 136. tuo ad hoc facinus animent, illu-
 Prophetæ sæpius iterant: *Exinanite,
 exinanite usque ad fundamentum in ea,*
 id est, ut Doctores interpretantur, vi-
 que ad fidem.

Nos autem rugientibus, & circum-
 euntibus leonibus, iuxta monitum
 sancti Petri fortes in fide resistamus
1. Petr. 5. *Deus autem omnis gratia modicum pas-
 sos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque.*
 Atque aliquando nobis illam gratiã
1. Cor. 13. faciet, ut eum videamus, non ut *numquam
 per speculum in anigmate, sed facie ad fa-
 ciem,* ut Apostolus loquitur.

CAPVT DECIMVM
 SEPTIMVM.

*De Virtute Spei ac maximo solatio
 quod nobis vitæ huius tem-
 pore præstat.*

Iucundum est bonum aliquod quan-
 tumvis absens mente concipere; iu-
 cundius

cundius tamen est te illud adepturum sperare; boni enim cognitio Voluntas desiderium excitat, Spes voluntatem ad prosequendum impellit. Dixit aliquis Poetarum, Spes alit agricolas, ego addo etiam mercatores, & milites; Neque enim semina terræ committeret Agricola; Neque pecunias suas fortunæ, ac negotiationis periculis exponeret mercator; neque vitam suam tam animosè mortis casibus obijceret miles; nisi hic victoriæ coronam plane se obtenturum consideret; ille spem certam lucri, quasi arca iam reclusam, foueret; iste vberem messem speraret: Spe itaq; erigimur, absque spe debiles prægrauamur, nec ad vllum bonum excitamur. Si autem in rebus humanis spes humana adeò necessaria est, dubium non est, quin Spes diuina in diuinis negotijs etiam requiratur; ideoq; Deus cum fidem homini dedisset, vt suum supernaturale bonum intelligeret; spem etiam indidit, vt confidenter exspectaret.

Est autem Spes Virtus quædam quæ certa cum fiducia vitæ æternæ bonam exspectamus, mediâque ad ea obtinendam

Spes laborantes animat.

*D. Tb. 2.
2. q. 17.
4. l.*

Tit. 2.

dam necessaria adhibemus. colligentes
hæc definitio ex S. Paulo dicente: Ap-
paruit gratia Dei Salvatoris nostri omni-
bus hominibus, erudiens nos, ut abnegan-
tes impietatem & secularia desideria
briè, & iustè, & piè vivamus in hoc sæcu-
lo, expectantes beatam spem, & adven-
tum gloria magni Dei, & Salvatoris no-

Hebr. 6.

stri Iesu Christi. Et alibi, fortissimum
solatium habeamus, qui confugimus ad
tenendam propositam spem, quam sicut
anchoram habemus animæ tutam, &
firmam atque incedentem usque ad inte-
riora velaminis. Ex quibus habemus
Spem esse donū Dei, maximūq; huius
vitæ solatium, ac animæ anchorā, qui
non in mundi huius tempestuoso ma-
ri, ut inquit Chrysoſt. sed in quietissi-
mo cœlestis patriæ portu defigimus.

i. Petr. 1.

Nam ut S. Petrus ait: Deus nos regenera-
vit in spem vivam: & Paulus se Apосто-

Tit. 1.

lum secundum fidem electorum Dei, &
agnitionem veritatis, quæ secundum pi-
etatem est in spem vitæ æternæ, quam
promisit, qui non mentitur Deus. Felices
ergo Christiani, qui peregrinationis
sue tempore in medijs huius mundi
tribulationibus & adversitatibus di-

vina

mina hac virtute tanquam salutis ga-
 lea muniuntur. Infideles aliarum for-
 te virtutum aliquod vestigium habu-
 erunt, huius certè nullum. Cum enim
 quidam eorum diuinam prouidentiam
 negarint, omnes autem falsos Deos a-
 dorarint, quomodo in verum Deum
 sperare potuerunt? Quomodo in eum
 confident, quem nostra curare perne-
 gant? quomodo ab ijs auxilium spera-
 bunt quos nihil posse certò præsciūt?
 lapides enim & ligna sunt; & vt benè
 cecinit Dauid: *Simulachra gentium ar-*
gentum & aurum, opera manuum homi-
num: Os habent & non loquentur; oca-
los habent & non videbunt: Aures ha-
hent & non audient; nares habent &
non odorabunt: Manus habent & non pal-
pabunt; pedes habent & non ambulabūt,
non clamabunt in gutture suo. Tan-
tum itaque abest, quod simulachra
auxilij aliquid suis cultoribus præ-
stent, vt potius ipsorum opera indige-
ant, manibus aut humeris efferri de-
beant, si in templa eorum, & delubra
incendium proserpserit. Si autem
Dij gentium Demonia, vt idem psal-
mus ait, quam spem in malignis
illis

Iob. 22.

Psal. 113.

Psal. 95.

illis

illis generis humani iuratis hostibus collocabunt? Nobis ergo Christianis hanc virtutem concedant Gentiles,

Psal. 83.

nobis enim illæ Propheticæ benedictiones appropriantur, *Domine virtutum, Beatus homo, qui sperat in te:* nam

Psal. 33.

Non derelinquet omnes sperantes in eo. Christianus fide Deum cognoscit; Spe autē de cognito lætatur; adeoque secundum Grēgorium hæc virtus mentē in Deum, ac æternitatē eleuat, vt mala

Rom 9.

exterioribus, quæ in hac vita patitur non persentiscat; ideoq; dicit Apostolus, *Spe enim salui facti sumus;* quia

2. Tim. 1.

scilicet spes tam certos ac securus de diuinis promissis nos reddit, ac si ea iam adepti essemus; Quæ spe plenus ipsemet dicit, *Scio cui credidi: certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illum diem.* Optimè autem spes anchoræ, quæ sistendis nauibus seruit comparatur; vti etenim hæc non impedit, quo minus nauis fluctibus concutiatur, & ventis agiterur; seruat tamen eam ne in Syrtes scopulose impacta pereat: Ita etiam spes, non quidem sperantes à mundi huius turbinibus ac aduersitatibus eximit,

attamen, ne ijs vincantur, aut oppri-
 mantur, facit: Testes sunt ij omnes, qui
 spe radicati in Dei seruitio quibuscū-
 que tribulationibus emergentibus, &
 persecutionibus exsurgentibus firmi-
 ter perstiterunt: Scimus, quantas ad-
 uersitates Antiqui Patres & Patriar-
 chæ, prophetæ, aliique alicuius notæ
 homines veteris testamenti pertule-
 rint: Nouimus, quas afflictiones, quæ
 tormenta noui testamenti martyres
 perpessi sint. Apostolus Paulus de san-
 ctis legis veteris agens varias eorum
 ærumnas, & exantlatos labores enu-
 merat dicens, *Sancti per fidem vicerunt* *Hebr. u.*
regna operati sunt iustitiam, adepti sunt
re promissiones, obturauerunt ora leonū,
extinxerunt impetum ignis, effugerunt
aciem gladij, &c. Alij autem distenti sunt
non suscipientes redemptionem, vt melio-
rem inuenirent resurrectionem: Alij verd
ludibria & verbera experti, insuper &
vincula & carceres; lapidati sunt, secti
sunt, tentati sunt, in occisione gladij mor-
tui sunt circumierunt in melotis, in pelli-
bis caprinis, egentes, angustiati, afflicti,
quibus dignus non erat mundus, in solitu-
dinibus errantes, in montibus, in spelūcis,
 & cauernis

& cauernis terra. Tribuit quidem Apostolus hanc constantiam fidei, sed in virtute spei, quæ hic præcipuas partem egit, vt ex ipsis ab Apostolo allegatis exemplis, & initio capituli liquet, vbi dicit fidem esse rerum sperandarum substantiã. Hæc ipsa spes est, quæ septem Machabæos cum matre sua ad martirium subeundum ad eum animabat; vnus enim eorum Tyranno aiebat, *E cælo ista possideo. sed propter Deum leges nunc hac ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum confido: & alter, Potius est ab hūminib⁹ morti datos spē expectare à Deo iterū ab ipso resuscitandos.* Si autem dicamus spem Patriarcharum & veteris testamenti Antesignanos in bono stabiluissse, & constantes reddidisse, multo meliore ratione idem de Apostolis, Martyribus, alijsque sanctis Ecclesiæ Christianæ affirmatè dicere poterimus, quos omnes ad eum spes roborauit, vt etiam infantes paruuli, & teneræ virgines in maximo tormentorum æstu præ gaudio exultauerint. Imbiberant enim animis felices illæ animæ istud Davidis canticum, *Qui habitat in adiutorio altissimi in protectione*

Heb. 11.

2. Mach. 7.

Psal. 20

ne Dei cœli commemorabitur: Dicet Domino
 susceptor meus es tu; refugium meum
 Deus meus sperabo in eum &c. qui totus
 psalmus bonorum in Deum spem, at-
 que fidem; & Dei assistentiam iisdem
 promissam, ac præstitam prosequi-
 tur.

Qui autem desperatione Spem su-
 am prodegerunt, & conscientiam suã
 perturbant, & seipsos in maxima
 quæque mala præcipitant: Docuerunt
 id ipsum effectu Cainus & Iudas; Ille
 enim veniam desperans absque vlla
 requie huc illucque vagabatur; hic
 autem spem veniæ abijciens seipsum
 suspendit, suspensusque medius cre-
 puit. O maximam itaque animæ Chri-
 stianæ felicitatem, quæ in Spe ita es
 stabilita, vt in Deum sperares, quam-
 uis te occideret! Habes enim hic in
 terris futuræ in cœlis gloriæ pignus,
 & æternæ felicitatis arrham certissi-
 mam, nam vt inquit Propheta, *Qui spe-*
rant in Domino mutabunt fortitudinem,
assument pennas sicut aquila current, &
non laborabunt; ambulabunt, & non de-
ficient.

Si forte quæras, quis tantæ virtutis
 obtinen.

*Desperati-
 onis mala.*

Genes. 4.

*Matt. 27.
 Actor. 1.*

Isaia. 40.

*Modus ob-
 tinendi do-
 num Spei.*

obtinendæ modus sit? Respondeo præ
mam eius causam esse gratiam Dei,
quæ etiam ceterarum virtutum mater
est; tam autem hanc, quam illam affe-
dus apud Deum precibus obtineat
frequentatis autem & sæpè iterata
sperandi actibus etiam habitum quæ-
dam acquiri: Neque etiam inutile ef-
fet, frequenter cogitare Deum in suis
promissis fidelem esse: Si autem subie-
detardauerit & auxilium distulerit,
id nempe è re nostra esse, ac in nostro
commodum aliquando cessurum.

Modus cõ- Obtenta verò Spe, eam humilitate
seruandi. cordisq; integritate fouere debemus
Psal. 36. Nam vt ait Psalmista: *Spera in Domino*
& fac bonitatem: Subditus esto Domi-
1. Ioan. 3. *no, & ora eum.* & Ioannes, *Si cor nostrum*
non reprehenderit nos, fiduciam habebimus
ad Deum. Vnde Augustinus, *ille*
august. de *ad id, quod credit & diligit, peruenit*
Doctrin. *desperat, cui mala conscientia scrupula*
Christ. l. 1. *inest.* Si itaque desideremus spem no-
c. 40. bis conseruari, augeri que, & conso-
latione ac quiete, quam animæ com-
municat, gaudere, conscientiam puri
& à peccatis mundam habere studeamus; maximè autem Præsumptionem
caue-

caueamus, & Desperationē vitemus;
Sunt enim quidam, qui nimis facile
desperant; sunt alij, qui nimis arrogā-
ter præsumunt, vtrumq; tanquam ex-
tremum in vitio est. Nam *Beneplacitū*
est Domino super timentes eum, & in eis
qui sperant super misericordia eius: Qui
enim solis suis meritis confidunt præ-
sumptuosi sunt; qui verò absque vllis
suis meritis de diuina misericordia
præsumunt, in spiritum Sanctum pec-
cant, nec vlla misericordia digni sunt.
Benè sperare oportet & tamen nihi-
lominus etiam benefacere; non enim
solum ait David, *Spera in Domino* sed
addit, *fac bonitatem, inquire pacem &*
persequere eam: & Apollolus. *Cum me*
tu & tremore salutem vestram operami-
ni: & de seiplo idem ait. *Nihil mihi con-*
sciūsum, sed in hoc iustificatus non
sum.

Psal. 146.

Psal. 36.

Philip. 2.

1. Cor. 4.

Procul itaque omnem præsumpti-
onem pellamus, neque nostris viribus
aut meritis innitamur, sed in Deo, e-
iusque infallibilibus promissis spem
omnem collocemus: Dicamus ei cum
Propheta, *Spes mea tu in die afflictionis:*
& cum Psalmista, *Domine spes mea à*

K 2

iuuen-

- Jerem. 17. *iuventute mea; neq; abs re; nam iustif.*
 Psal. 70. *simè cum ipso canere possumus. Ego*
seruus tuus & filius ancilla tua. Vnde cū
 Psal. 115. *Ieremia concludo, Benedictus vir, cui*
confidit in Domino, & erit Dominus fiducia
 Jerem. 17. *cua eius: Et erit quasi lignum, quod trans-*
plantatur super aquas, quod ad humo-
rem mittit radices suas, & non timebit
cum venerit aestus, &c.

CAPVT DECIMVM
 OCTAVVM.

*De Charitate Christiana eiusque
 mirandis fructibus.*

GRATIA de qua egimus, & Charitas
 de qua nunc agendum est, ad eò si-
 miles effectus sortiuntur, vt multae
 vnā, eandemque qualitatem esse ar-
 bitrati sint: Verisimilius tamen est,
 hāc duo inter se differre, & diuersa
 esse; Si enim scripturas, & concilia
 penitus inspiciamus, deprehende-
 mus has duas qualitates diuersas in a-
 nima sedes habere, & in diuersis par-
 tibus subiectari; ipsamque gratiam
 charitatem quodam ordine præcede-
 re: Gratia enim immediatè in ipsa a-
 nima subiectatur, eam mundat, ornat,
 & quasi in aliam creaturam renouat.

2. Petr. 1.
 Tit. 3.

Chari-